FRIDERICO
BORUSSIAE REGI
BRANDEBURGI ELECTORI.

UT Tua Gens ſemper primaeva ab origine cunctos
Protulerit claros mente manuque Viros:
Tu tamen hos omnes, ut caetera ſidera Titan,
Non tantum ſuperas, quin hebetare potes.
Nempe quis illorum plures concurrit in hoſtes;
Obnixuſque potens, ſuſtinuitque diu?
Ipſe ſed in multos multum obluctatus es unus:
Nullus & aſpexit Te jacuiſſe metu.
Viciſti Tu ſaepe quidem, victuſque fuiſti:
At pugna, haud bello ſuccubuiſſe piget.
Quodque fidem ſupra eſt, non ſorti obnoxius ulli:
Sors varia eſt: eadem mens Tibi, pectus idem.
Dum vincis, minime ceſſas: utique triumphis
Scis bene mox, virtus quos Tua rara tulit.
Vinceris: at minime torpes: palmae inſtar at ipſo
A damno accepto nata trophaea trahis.
Hinc precor, hos clemens ne dedignere libellos
Accipere; emerito quos Tibi rite dico.
Et refero grates: virtus Tua fulgida noſtrae
Nam citharae lumen, materiemque parit.